

Kem 234. (A-24)

EFFICACEM
SPIRITVS MINDERERIANI
VIRTUTEM ANTIRHEV-
MATICAM

PRAESIDE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. MED. THEOR. CHEM. ANAT. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAI. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS

DIE OCTOBRI^S C^IC^IC^LXXXV.


PVBLCIE DEMONSTRABIT

CHRISTIANVS FRIDERICVS SANDEN,

RIESENBVRG-BORVSSVS.



TRAJECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.





*Multa renascentur, quae nunc cecidere, cadentque,
Quae nunc sunt in honore, — — si voler̄is.*

HORATIVS.

§. I

Quotiescumque priorum temporum memoriam tacite recolo, et eorum in primis scriptorum qui bina nuper praeterlapsa secula scriptis illustrarunt suis, litteraria, quae exstant, evoluo monumenta, mirari satis non possum qui fiat, ut, quae in his, ad doctrinam clinicam pharmaceuticamque spectantibus, descripta passim traduntur, medicamenta, alia quidem, licet maxime concinna atque efficacia, subinde tamen obsolescerent, et ex medicorum memoria pae-

A 2

ne



ne exiderent, alia vero, quae profecto indigestae inconcinnaeque farraginis exempla merito videbantur, neque salubritatis nomine se commendabant, obliuioni eriperentur, et dispensatoriis, quae barbare dicuntur, inserta, ad nostram vsque aetatem, in publica constituerentur auctoritate. Si posterioris generis quaeras exempla, quis, quae-so, medicorum supra vulgus sapientium toleret haud indigabundus alumen tintum M Y N S I C H T I , antiheliticum P O T E R I I , aquas coponis, antifebrilem, dysentericam de tribus, impinguantem, aliasque plures, porro aurum fulminans, cornu cervi auratum, cranium humanum philosophice praeparatum, magisteria pleraque, et cetera huius farinae medicamentorum nomine prorsus indigna? Contra ea ex priori genere haud quoque defunt exempla. *Spiritum vitrioli dulcem* exquisite confectum, eiusque in primis naphtham, cuius accuratam descriptionem iam ante duo secula tradiderant celeberrimi duuumiri, VALERIVS CORDVS et CONRADVS GESNERVS^{a)}, paene medicorum excidisse memoria, quis non nouit? nisi nobile hoc medicamentum denuo illustris FRIDERICVS HOFFMANNVS, patrum nostrorum temporibus, mutato tantum nomine, in usum reuocasset. *Phosphori vrinariū* salutarem efficacitatem iam medio circiter praecedente seculo cognovit per spicacissimus chemicus, IOANNES KVNCHELIVS, eiusque internum usum, propositis *luminosis*, quas vocabat, pilulis eximie commendauit. Sed huius quoque efficacis medicamenti usus fere obsoletus nostra demum aetate ab attentioribus quibusdam medicis denuo frequentari coepit b).

^{a)} Prior in libro *de artificiois extractionibus*, Part III. Cap. XI. pag. 228.
posterior autem in *Euonymo sive de secretis Libr. II.* pag. 364. edit.
Lugdunenſ. 1620.

pit b). Idem quoque fatum expertus est haud inanis vir-
tutis liquor salinus ammoniacalis, *Spiritus Mindereriani* no-
mine passim notus: cuius inter medicos clinicos usus, se-
quiseculi circiter spatio, mox inualuit, non sine aegro-
tantium emolumento; mox vero iterum haud suo merito,
sed sola medentium incuria, exoleuit, nuperque demum
quasi postliminio in visitatorum medicamentorum numerum
rediit dignitatemque. Quoniam vero inter reliquos prae-
stantissimos effectus, qui ab huius liquoris usu exspectari
possunt, ea in primis maxime conspicua est efficacitas, qua
ex humano corpore rheumaticam materiem expellit, mor-
bisque hoc ex fonte ortis medetur: operae existimauit pre-
mium fore, si praesenti scribendi opportunitate, supremos me-
dicos honores mihi comparatura, usus, hanc Mindererianam
spiritus virtutem ad suas reuocarem rationes, pauca quae-
dam, vnde istae constare possunt, de liquoris huius prae-
parandi modo, genere salino, mixtione, et ad alia corpora
relatione, quam physici vocant, praelocuturus, et dein
ex his modum, quo in rheumaticam materiem agit, sin-
galatim demonstraturus.

§. II.

Quem primum liquoris huius salini auctorem, aut
saltem laudatorem nouimus, cuiusque honorifica commen-
datione in medicamentorum numero haberi coepit, R A V-
M V N D V S fuit M I N D E R E R V S, poliater Augustanus pri-
marius, ipsiusque imperatoris Romani, M A T T H I A E, va-
riorumque principum Germanorum a sanitatis consiliis, va-

A 3

riis.

b) Confer IO. HENRICI SCHVLZII Praelection. in Dispensat. Bran-
denburg. a Celeberrimo Praefide auctas et Norimberg. c1600L
editas; pag. 404. seq.



riisque scriptis eruditione plenis, quae edidit, sub seculi decimi septimi initia admodum celebris. Hic, si recte adhuc memini, in libro, qui *medicina militaris* ^{c)} inscribitur, primam huius praestantissimi remedii fecit mentionem, eiusque consciendi exposuit rationes. Nescio vero, quid fuerit caussae, cur ipse clarissimus auctor, cuius tamen in emendanda augendaque, quam **A DOLPH V OCCO tertius** primum ^{d)} composuerat, *pharmacopeia Augustana* plurimae fuerant partes, hunc liquorem suum ammoniacalem, ceteris profecto medicamentis, si virium species efficacitatem, haud inferiorem, in remediorum, hoc codice comprehensorum, numero omitteret. Inde etiam accidit forte, ut, quoniam *Augustana* haec *pharmacopoeia* et *Noribergense*, vti vulgo dicitur, *dispensatorium*, a **VALERIO CORDO** collectum, posteriorum huius generis codicum pharmacologicorum velut norma atque exemplar erat, longo quoque multorum annorum interuallo, ad nostra vsque tempora spiritus **Mindererian** formula ^{e)} ex huiusmodi libris exularet. Neque alias privatis, licet locupletissimis, formularum medicarum collectionibus, a quibus tamen plurimorum inutilium remediorum farrago non abest, inserta deprehenditur huius praestantis medicamenti praescriptio ^{e)}. Nostra demum aetate, qua elaborior scientia chemica pharmacologicos quoque correxit er-

TO-

^{c)} Maxime doleo hunc librum *Augustae Vindelicorum*, c1500cxxx. in forma octopartita editum, quem olim legi, nunc non esse ad magnum: vt exacte loca, quibus **MINDERERV** huius liquoris salini vires commendat, excitare possem.

^{d)} Anno nimirum c1506xlv.

^{e)} Exempli caussa nominare liceat **IOANNIS HELFRICI IVNG-
KEN** *Corpus pharmaceutico - chymico - medicum - uniuersale*; et vel ipsam eitisdem recentiorem editionem. a **DAVIDE de SPINA** Francofurti ad Moenum, c1500cxxxii. foras emissam.

rores, magnamque inutilium pharmacorum vim ex tabernis pharmacopoeorum expunxit, rediit quoque cum aliis selectis remedii in clinicos medicorum usus liquidum hoc ammoniacale sal Mindererianum. Infrequentior tamen eidem in dispensatoriis et pharmacopoeiis, publica auctoritate confirmatis, concessus est locus, quam in eorum celeberrimorum virorum scriptis, qui priuata opera rem medicamentariam starilius atque inconcinnorum remediorum farragine repurgarunt. Ex prioribus mihi sola in mentem venit *pharmacopoeia collegii regii medicorum Edinburgensis f)*: ex posterioribus vero nominasse sufficiat illustria nomina IOANNIS FRIDERICI CARTHEVSERI g), CAROLI GUILIELMI POERNERI h), RICHARDI de HAVTESIER k), et FRANCISCI XAVERII HARTMANNIK); omisitis plurimis aliis therapeuticis scriptoribus. Eximio huic medicamento vulgo inditur *spiritus MINDERERINOMEN*: nonnulli vero idem *sal ammoniacum liquidum l)* aut *sal aceti ammoniacale m)* appellant. Germanis dicitur *D. Minderers Spiritus* siue *D. Minderers Salztraenkgen n).*

§. III.

- f) Pag. 125. edit. Bremens. C15CCLXVI.
- g) In *Pharmacolog. theoret. practic.* pag. 420. edit. secund.
- h) In *Delinect. Pharmac.* pag. 108. edit. Lipsiens. C15CCLXIV. et in *Selecta Mater. med.* pag. 182. edit. Lipsiens. C15CCLXVII.
- i) In *formulis medicamentorum nosocomiis militar. adaptat.* pag. 18. edit. lenens. C15CCLXIII.
- k) In *Formulis remediorum in Mater. medic. et chirurg. illasir.* CRANZII; pag. 228. edit. Lipsiens. C15CCLXXI.
- l) Verbi causa celeberrimus POERNERVS libr. et loc. cit.
- m) Exempli gratia auctor *der allgemeinen Begriffe der Chymie*, III. Theil, pag. 412. edit. Poernerianae.
- n) Confer in exemplum viri celeber. IO. AVG. PHILIPP. GESNERI *Samlung von Beobachtungen aus der Arzneymelahrheit*; pag. 137. Nordling. C15CCLXIX.

§. III.

Quanam autem ratione conficiatur liquor hic salinus, accurate enarrare, nostri porro refert instituti. Haec nimurum praecipienda videntur lectoribus, ut quidnam vi-
rium inde exspectari possit, iisdam recte constet. Quan-
tum memini me in praedicto libello *Mindereriano* olim le-
gisse, praeclarissimus hic auctor ex sola sufficienti aceti vi-
ni optimi et spiritus salis ammoniaci, ope salis tartari aut
cinerum, quos vocant, clauellatorum expulsi, commix-
tura, donec omnis bullularum aërearum motus in liquo-
re confuso cessavit, spiritum hunc salinum conficiebat. At-
que eandem quoque methodum proposuit celeberrimus
POERNERVS) et NEVMANNVS, aut potius ZIMMER-
MANNVS p): quorum posterior tamen simul superfluum
phlegma destillando scilicet iubet. Alli partim aceti spi-
ritum aut destillatum acetum, partim sal volatile siccum
salis ammoniaci miscent, et in phiola aut in mortario vi-
treo marmoreoue prius illud posteriori tamdiu, sub repe-
rita agitatione, instillant, donec effervescente desinit liquor.
Hanc conficiendi huius spiritus rationem sequuntur *Edim-
burgenses* illustresque viri, CARTHEVSRVS, HAV-
TESIERK, HARTMANNVS, aliquique q). Nonnulli ex
his in locum salis volatilis siccii salis ammoniaci substituunt
sal volatile cornu cerui r): quod perinde erit, si posterius
hoc

- o) In *Selecta mater. med. loc.* ante citat.
- p) In *allgemeinen Grundsaerzen der theoretischen und practischen Chymie*;
pag. 358. edit. Dresdens. c1602CLV.
- q) *Libr. et loc. ante citar.*
- r) Exempli caufa, HARTMANNVS loc. allegar. et clarissimus IO.
CHRISTIAN. ANT. TREDENIN *Vniersicht für die Wundaerzte*;
pag. 284. edit. Berolin. c1602CLXXIV.

hoc sal exquisite fuerit depuratum, omniq[ue] oleo empyreumato priuatum; aliis autem aduentitis viribus Mindererianum imbuet spiritum, si dicti illius empyreumatis superest quidquam. Haud inopportuno quoque consilio aliqui malorum citrorum succum vrinofo sale, quantum sat is est, impraegnant, et inde *spiritum* parant **MINDERERI** citratum. Nosmet ipsi quoque interdum, alio instituto, vino Rhenano meraco veterique tantum immisimus salis alkalini volatilis, quantum ad perfectum sal medium requiebatur, hocque modo *spiritum MINDERERI* confecimus *vinosum*. Denique in sica etiam solidaque forma singulare hoc sal producere conatus est *Praeses Excellentissimus* nec spem fefeller euentus. Acido nimirum aceti sumanti, *methodo Schiffiana* s), a clarissimo IO. CHRISTOPHORO WESTENDORF dein occupata t), parato, in cucurbita vitrea pedetentim tantam salis volatilis siccis salis ammoniaci copiam iniecit, donec non solum efficax ebullitio, verum etiam alborum vaporum adscensus cessaret. Applicato dein alembico, appositoque excipulo, ex arenae balneo, subdito leni igne, vix aliquot guttulae phlegmatis subaciduli destillarunt, tota reliqua massa salina eleganter albicante ad alembicum usque in sublime rapta. Neque sapor solum, sed etiam reliqua consueta examina perfecti salis medii naturam demonstrarunt. Postremo temperare nobis non possumus, quin de errore quodam, forte typothetae incuria in iam excitato clarissimi THEDEN opusculo, dum huius spiritus praeparatio re-

B

cen-

s) In *Dissert. de acidis concentratis et dulcificatis*, Praeside IO. IVNCKERO HALAE CLOCCCLIX. habita; §. 21. e 22.

t) In *Dissert. de optima acerum concentratum eiusdemque naphtham conficiendi methodo*, GÖTTINGAE, CLOCCCLXXII. §. 3. seq.



censetur ^u), commisso, letores moneamus. Quae enim ex sale ammoniaco et aceto constare dicitur, mixtura Mindereriani spiritus nomen neutquam meretur. Nec omnino veritati sunt consentanea, quae accuratus alioqui Neumannianarum praetentionum chemicarum commentator, IOANNES CHRISTIANVS ZIMMERMANNVS, de non succedente ebullitione disputat ^x), risi, dum acetum vrinosumque sal miscentur, aut prioris dupla sumatur portio, aut spiritus vrinosus adfusa aqua debilitetur. Per nostra enim experimenta nobis constitit, nunquam defuisse ebullitionem, si acetum, vel simplex, optimae fuit indolis iustique acoris, spiritusque vrinosus suo sale sufficienter impregnatus. Ceterum, si licitus innoxiusque placuerit fucus, liquor hic Mindererianus addito pulueris Coccionelae tantillo pereleganter tingi potest.

§. IV.

Ex his ergo luculenter intellecturos esse letores existimamus, cuinam generi salium subiici oporteat liquorem hunc Mindererianum. Quoniam enim ex sale acido quodam et alcalino volatili, quod vulgo vrinosum vocant, intime inter se coniunctis, coit (§. III.), sequitur, vt, ex omnium recentissimorum chemicorum sententia, salium mediorum ammoniacalium classi liquor hic sit inferendus. Quod vero ad vegetabile acidum attinet, huic usui impendendum, haud adeo multum intererit discriminis, siue ex aceto, siue ex citri succo, siue ex rhenano vino deducatur: sicuti ad veritatem admodum accomodate subtiliterque demonstrauit perspicacissimus chemicus, IOANNES CHRIS-

^u) In libr. et loc. cit.

^x) Libr. et loc. allegat.

CHRISTIANVS WIEGLEBY). Sola vero minoris maiorisue efficacitatis ratio a diuersa particularum oleofarum, aquofarum, mucilaginofarumque, dictis liquoribus acidis inherentium, copia dependet. Eo ergo nomine huius efficacitatis gradus haud inepte definieris, si sali sicco Mindereriano, per sublimationem, quam dicunt, parato, supremas concedas partes; inferiorem virtutem spiritui vulgari Mindereriano, destillati aceti ope confecto; hac paullo debiliorem ei, ad cuius mixtionem vulgare vini acetum accessit; adhuc minorem efficaciam spiritui Mindereriano citrato; minimam denique spiritui huius nominis yinoso (§. cit.). Verum enim vero qualemcunque ex his miscendi componendique huius salis ammoniacalis elegeris rationem, perinde fere erit, neque adeo magna virium deprehendetur differentia, si modo in singulis dosibus, quae aegrotis exhibentur, diuersae huius mixtionis habeatur ratio. Proinde, nostra saltem sententia, salis huius ammoniacalis siccii grana duodecim sedecimue; spiritus Mindereriani vulgaris, destillato aceto admixto comparati, guttulae quadraginta ad octoginta; reliquorum omnium vnum duoue cochlearia, adultis in singulas doses, bis, ter, quaterue per diem commode dari possent. Sed haec omnia de spiritu Mindereriano dicta sunt, qui salis volatilis alcalini puri accessione prodit. Quotiescumque vero, vti supra exposuimus (§. cit.), sal quoddam *virinosum impurum*, verbi caussa, cornu cerui, aliarumque partium animalium, empyreumatico suo oleo medicamentum hoc infecit, alia omnino et virium, et doceos, habenda est aestimatio: ab ea parum recedens, quam alioquin medici liquori cornu cerui succinato statuere solent.

B 2

§. V.

g) In Notis ad RUDOLPH AVGUSTIN VOGEL'S Lehrsätze der Chemie; §. 459.



§. V.

Ergo non ipsa solum salium classis, qua MINDERE-
RI spiritus comprehenditur, verum etiam mixtionis ratio
luculenter declarat, quinam ex ipsius vsu in corpore hu-
mano exspectandi sint effectus. Partim enim eorum scri-
ptorum, qui de materia medica commentati sunt, de-
monstrationes, partim quotidiana medicorum clinicorum
experimenta abunde satis docuerunt, ammoniacalium sa-
lium operationem generatim ita esse comparatam, vt par-
tim fibrillis corporis humani solidis, muscularibus nerueis-
que, blandos imprimant stimulos ad vegetorem irritabi-
litatem sensitatemque excitandam; partim, tanquam
menstrua chemica, in humores spissos, viscidos, coactos,
inaequaliterque aut vitiose mixtos, efficaciter penetrant,
eosdemque incident atque resoluant. Hinc ergo, si dictas
istas solidarum partium mutationes spectaueris, apertissime
sequitur, vt communia cordis et arteriarum officia expe-
ditius peragantur, motus sanguinis et inde secernendorum
iamque secretorum humorum augeantur adiumenturque,
eorumque, qui ex corpore excerni remouerique debent,
varia colla promptius expediantur. His autem effectibus,
in solida corporis humani compage per salium ammonia-
calium internum usum absoluendis, velut opem fert altera
illa fluidorum mutatio, quae dietis salibus debetur. Quo-
tusquisque enim est, qui non perspiciat, quoslibet corpo-
ris humani humores, si viscidii lentique antea a salis cuius-
dam accessione velut incisi fuerint resolutique, mobiliores
fore et ad permeatum faciliorum aptiores? Verum enim ve-
ro hanc ipsam salium ammoniacalium operationem atque
inde exspectandos effectus non uno eodemque fieri gradu,
tam experimenta chemica, quam observationes clinicae

sua-



fuadent. Prout nimirum acidum, quod salis ammoniacalis mixtionem ingreditur, aut fixioris, aut tenerioris est naturae, partim quoque stimuli, ab huiusmodi sale fibrilis corporis humani solidis impressi, erunt aut vehementiores efficacioresque, aut leniores temperatoresque; partim varia etiam vi diuersoque impetu cohaesioneisque nisu non solum in fluidas animalis nostrae compagis partes, sed etiam in alia forte coniuncta medicamenta, tanquam menstrua, agent, varioque adeo gradu definitam efficient resolutionem. Eo ergo nomine *spiritus Mindererianus*, qui praeter sal vrinosum, ex aceti acido, aut saltēm alio haud dissimilis originis naturaeque (§. IV.), quippe mineralibus acidis quibuslibet temperatori, et per ipsam naturam, intimo inflammabilis et velut oleosae portionis ingressu, admodum delinito, constat, partim leniori et quasi transente stimulo fibrillas solidas, irritabilitatis sensibilitatisque participes, vellicabit atque incitabit, partim facilius humores animales, quippe magna ex parte inflammabilem natram naestas, inibit, salutaremque praeestabit resolutionem. Proinde, de rei veritate prorsus coniuctus, mea faciam, quae de hoc sale ammoniaco liquido eiusque efficacibus in corpore humano virtutibus verissime adseruit saepe iam honoris caussa hic excitatus CAROLVS GVILIELMVS POERNERVVS: *Insunt, dicens z), huic liquori partes salinae subtilissimae, cum subtilissimis oleosis arte coniunctae. Lenem nec diu inhaerentem stimulum fibrae musculari applicat, brevi tempore in corpore commoratur, densitatem humorum minuit, viscidum mobile magis attenuat, et resolutum ad evacuationem disponit. Putrido etiam obest, inprimis si viscidio adhuc implicitum, neque adeo euolutum est. Profundius*

B 3

pe-

z) In *Selecta Mayer. medie.* §. 243.



penerat, quam liquor terrae foliatae tartari, mitius tamen est remedium, et actionem breviori tempore absolvit. Ad neroos accedere, et lentorem fluidi nerui, a putrido dependentem, corrigerre videtur. Ex pluribus substantiis simplicibus, vi salutari instructis, actiuas partes educit, et medicamenta, nunquam satis laudanda, praebet. Fac autem, sole quodam vrinoso impuro addito spiritum Mindererianum esse confectum (§. IV.), idem quidem haud dissimili valebit virtute, sed ob immixtas empyreumatici olei particulas blando simulque diu inhaerente stimulo fibras incitat musculares, moleculasque humorum oleosas atque Salinas magis reddet actiuas, et aquosas minuet, humorumque adeo motum aliquantum intendet, sine insigni tamen aestus incremento.

§. VI.

Vtrum autem haec, quam nunc exposuimus, spiritus Mindereriani operatio, integra seruata eiusdem mixtione, a solis ipsis *particulis similaribus*, quas chemici vocant, earumdemque figura cuspidata peragatur, an ab elementis ipsis dissolutis et in *diffiniles particulas* seiuntur? difficultis omnino et admodum controversa est quaestio. Neque ego is sum, qui has extricet tricas, componatque litem, super salium mediorum, nominatum ammoniacalium, operandi rationibus agitatam a). Verum enim vero, quod ad praeiens sal ammoniacale acetosum attinet, sequentia omnino argumenta, mihi videntur ita esse comparata, ut de huius salis

in

a) Hanc spartam nuper suscepit clarissimus IOANNES IMMANUEL BREMER in *Dissert. de salium mediorum, nominatum ammoniacalium, operandi rationibus*, hic praesenti anno, sub nostri Praesidis praefidio defensa.

in elementa dissimilaria dissolutione, simulac venis ventriculi
intestinorumque bibulis exceptum cum variis humoribus
animalibus interiores corporis humani recessus identidem
permeauit, nullum mihi relinquant dubium: licet nequa-
quam negem, sub primis circuitibus multa adhuc huius fa-
lis superfore elementa similaria, vi solius figurae forte, quae
ipsis est, operationem suam in fibrillas solidas efficacem ab-
solutura. Primo ergo si attenti spiritum Mindererianum
consideramus, licet exquisite paratum, nec acido vri-
soue abundantem, nihilo minus tamen deprehendemus,
quotiescumque idem aut capacius quoddam vitrum magna
ex parte non implet, aut in vasculo negligenter obturato
adseruatur, aut vel mediocri calori exponitur, quod li-
quor hic salinus medius subacescere incipiat, auolante ni-
mirum insigni alcalini salis portione. Quae mutationes in-
primis accidere solent spiritui Mindereriano, ex simplicis
aceti vini, aut vini Rhenani, aut citroſi succi commixtura
enato. Paullo diutius vero fortiusque suum retinent vri-
nosum et illud sal liquidum, quod aceto destillato admix-
to paratur, et alterum illud siccum, acidi aceti fumantis pro-
genies (§. IV.) Deinde etiam in aestimanda, quae spir-
itu Mindereriano accidere in humano corpore potest, mu-
tatione ratio quoque habenda est elementi istius aquei,
quo omnes singulique animales humores largissime abun-
dant. Adde ad haec, hos ipsos humores, dum vi cordis
arteriarumque circumaguntur, eo incallescere gradu, quem
vulgo *vitalem* appellant, et tricesimo secundo thermome-
tri Reaumuriani aut centesimo circiter thermometri
Fahrenheitiani gradui aqualem aestimant. Iam vero che-
micorum experimentis constat, aquam non solum omnium,
quaecunque exstant, salium potentissimum efficacissi-
mum



mumque esse menstruum, verum etiam hanc efficacitatem
 summum in modum augeri intendique, quotiescumque par-
 tim eiusmodi solutio salina diu loco calido detinetur, aut
 ipsum menstruum calet; partim ipsa salia diu in solutione
 adseruantur, aut multa iteratione soluuntur: adeo, ut hac
 ratione tandem in sua quoque elementa dissimilaria fati-
 scant b). Taceo denique tot tamque variae multiplicisque mix-
 tionis humores, in animali nostra compage reperiundos, quo-
 rum elementa, siue sint naturae conuenienter mixta, siue vitio
 quodam aut aliena quadam a credine inquinata, variis rationi-
 bus intimam salium ammoniacalium, adeoque etiam spiri-
 tus Mindereriani, mixtionem subeunt, eademque passim
 disiungunt: quemadmodum variis, alibi iam expositis, ex-
 perimentis luculenter constitit c); quae hic repetere no-
 stri non interest instituti. Temperare tamen mihi non
 possum, quin vnicum ad haec hoc loco recenseam phae-
 nomenon, cuius quidem, quantum ego memini, a nem-
 ine vñquam facta exstat mentio, quodque *Praes* non semel,
 sed profecto compluries, eadem ratione conuenisse, ipse
 vidit animaduertitque. Quotiescumque consueta omnibus-
 que nunc cognita methodo per electricatoriam, quam
 vocant, machinam *electrica materies* tanto gradu incitatur
 atque congeritur, vt, verbi causa, in gladii mucrone col-
 lecta et velut coasta flammulam aut potius virgulam elec-
 tricam formet, huiusque dein virgulae ammoniacalia sa-
 lia, in vasculo patentioris superficie detenta, per horulam
 circiter prope admouentur, quo ab eadem electrica vir-
 gula identidem quasi verberari possint: tunc, nostri saltem

ex-

b) Confer RUDOLPH. AVGUSTIN. VOGELII *Institut. Chem.*
 §. 71. 72.

c) Videbis *Dissertat. ad not.* a) paullo ante citat. §. X. seq.

experimenti vi, ante dicta salia omnia singulaque, prae ceteris vero ex vegetabili quodam acido enata, insignem sui ponderis partem amittunt. Remanens salina massa manifesto acidæ portionis abundantiam, atque hinc etiam aliquam vrinosi salis iacturam, hoc modo effectam, demonstrauit. Spiritus saltem Mindererianus, postquam per sesquihoram circiter electrica haec verbera pertulerat, in purum paene abiit liquorem acetosum. Vtrum ergo in humano corpore, materiae electricae copia foecundissimo, hinc quoque ammoniacalia salia, praesertim liquor hic Mindererianus, attententur et in elementa sua resolvantur, nec ne? penes letores iudicium esto. Etenim maxime vereor, ne, dum verum sector, recti specie fal- lar, et in hypotheses delabar; quibus implicari me, patior difficulter. Enimuero illud ipsum, quod iam expo- fui, phaenomenon spectans, hac super re quaesierim forte: hincne etiam spiritui Mindereriano aliqua in nerois sit efficacitas? hincne forsan aliquid lucis ad illustrandas eorum effectuum sit sperandum rationes, qui nostris tem- poribus ab artificialium magnetum applicatione accidere, publice perhibentur? adeone sit fortassis materiae phospho- reae, electricae, magneticaeque adfinis, immo ipsa vna ea- demque natura? Sed quaestionum sic satis.

§. VII.

Vtcunque igitur haec omnia sint comparata, certif- simus tamen ex iis, quae de spiritus Mindereriani operatio- ne, in humani corporis solidis fluidisque partibus exspe- cienda, paullo supra (§. V.) generatim et ad experientiae ductum disputauimus, intellecturos esse arbitramur lesto- res, liquidum hoc sal ammoniacale in quam plurimis ma-

C

gnis.



gnisque morbis magnum quoque fore efficacissimumque
remedium. Verum enim vero cum haec, quae facillima
essent disputatu, longius a proposito absunt nostro, ad
solam huius salini liquoris antirheumaticam virtutem paullo
curatius definiendam, de qua libelum hunc academicum
inscripsimus, animum nunc appellemus. *Primo* igitur ea,
quae partim nostra, partim aliorum clinicorum obseruatione
frequentissime repetita, hac super insigni aduersus varios ad-
fectus rheumaticos efficacitatem nobis constiterunt, concin-
ne breuiterque recensebimus; *dein* materiae rheumaticae,
ipsius non solum rheumatismi, verum etiam inde deducto-
rum morborum velut parentis, naturam indolemque,
praecipuasque proprietates, quoad eius fieri poterit, sum-
ma cum circumspectione examinabimus; et *postremo* tan-
dem ex his ea deducemus argumentorum puncta, ex qui-
bus partim singularis elementorum salinorum, spiritum Min-
dererianum componentium, habitus atque relatio, vt dici
solet, ad ipsam materiem rheumaticam, si non absolutissi-
me, probabili saltem coniectura, erui cognoscique potest;
partim quoque ipsa facilior explicatu euadet ratio, vnde
plerique morbi rheumatici a liquoris huius ammoniacalis
vſu interno aut prorsus tolluntur, aut saltem, si medica
arte plus valent, insigni decrescunt leuamento.

§. VIII.

Quantum igitur ad *primam* propositi huius nostri
partem (§. VII.) attinet, obseruationum clinicarum, spiri-
tus Mindereriani vſum in rheumaticis morbis proficuum
illustrantium, spicilegia tantummodo quaedam colligemus,
eas dein addituri, quas partim optimus *Praeses* noster
multiplici experimento verissimas cognouit; partim nos-
met

met ipsi, varia opportunitate vbi, hac super virtute hu-
ius ammoniacalis salis attente instituimus. Celeberrimus
IOANNES AVGUSTVS PHILIPPVS GESNERVS,
exquisitissimarum observationum medicarum scriptor, gra-
vissimo cvidam rheumatismo inter alia medicamenta spiri-
tum quoque Mindererianum opposuit d). In *encliridio*
medico et chirurgico, quod anonymous quidam *auctoꝝ Anglus edidit e)*, in plurimis aegrotantibus febres rheumaticae
optime tractari persanarie dicuntur f), si singulis senis
horis spiritus Mindereriani cochlear vnum cum sero lactis
exhibeatur, aliisque interpositis lubricantibus remedii
libera seruetur. Ad expellendam materiem rheumati-
cam, tanquam dictarum febrium somitem, exercitatissimus
THEDEN potiunculam commendat g), ex sale volatili
cornu cerui, acetato vini, et nitro mixtam: quae profe-
cto haud alia est, ac si spiritum Mindererianum impurum
(§. III.) permiscueris cum nitro. Quae porro *Prae-
sidi* nostro hac de re frequentiori obseruatione sunt cogni-
ta atque explorata, haec fere sunt. In *febribus istis rheu-
maticis*, intermittentem vari generis typum simulanti-
bus, quae iam aliquot abhinc annis fere populariter vbi-
que sunt vagatae atque etiamnum vagantur, Minde-
rerianus hic liquor, quacunque methodo sit confessus
(§. cit.), quotiescumque iusta, quam de singulis propo-
suimus (§. IV.), dosi, apyrexiae tempore singulis quinis se-

C 2

nisue

d) *Conf. libr. ad not. n) citar.* pag. 137.

e) Coram est versio germanica, *Medicinisches und chirurgisches Hand-
buch für angehende Wundärzte inscripta, publicique juris facta*
Francofurti et Lipsiae 1500 CCLXXI

f) *Libr. citar.* pag. 64.

g) In *libro supra allegato*, pag. 167.



nisue horis, in ipso febri
li vero paroxysmo sub accessio
nem, statum, remissionemque aegrotis est datus, non ne
glecto diaetae regiminisque ordine, raro spem fefellit, sed
plerumque post quatuor, sex, septemue paroxysmos fo
lus, nullaque aliorum medicamentorum ope adiutus, fe
brem soluit: promota potissimum, quae critice accidere
solet, velut lateritia vrinæ hypostasi. Atque eosdem a
spiritus Mindereriani vsu oriundos euentus mecum quoque
commilitonum meorum plures saepe numero obseruarunt.
Praeter has vero febres nuperrimis quoque annis admo
modum frequentes fuerunt asthmata tuffesque, pleuriti^{as}
spuria^e, doloresque grauissimi cardialgici et colici, singuli
rheumaticae originis adfexus; quibus omnibus singulisque,
ex iterata Praesidis nostri obleruatione, frequens et ali
quamdiu continuatus liquidi huius salis ammoniacalis vlsus
haud infrestruose est oppositus. Quid? quod hoc praeteri
tisque binis annis passim ex eodem fonte rheumatico ortum
duxit suum dysenteria quaedam, minus, ac alioquin esse
solet, funesta: cui quoque a modico medicamenti huius Min
dereriani vsu insigne accessit leuamentum; quandoquidem
in quam plurimis huius generis aegrotantibus haud ita multo
post datum hunc liquorem salinum in cute apparuerunt pu
stulae purpuraceæ scorbuticae, et inter manifesta dolorum
intestinalium molestissimique tenesmi decrementa sensim fre
quentissimæ alii desierunt deiectiones. Postremo quoque
ipsum rheumatisnum chronicum, passim musculis velut in
fixum, omniq[ue] paene alio remedio superiore, tandem
aliquoties feliciter expugnauit optimus Praeses noster diu
turno elixirii cuiusdam vsu; quod ipse ex radicis ari, si ha
beri potest, recentis vnciis duabus, cum Mindererianispiri
tus octo vnciis in vitro probe obturato commixtis, et per
sex

sex septemue circiter dies saepius fortiter agitatis, deinde per linteum pressis colatisque paratum habet. Cuius elixirii per diem ter quaterue centum guttulae commode ex aqua propinari possunt.

§. IX.

Porro vero, quae ab hoc sale ammoniacali tam efficaciter vrgetur, et ad faciliorem expulsionem præparatur, aut saltem innoxia atque mobilis redditur, materia rheumatica cuiusnam sit generis, naturae, originisque, quis certa dixerit fide? Solum spissum, pituitaque autibile refertissimum, eundemque simul iusto copiosius abundantem sanguinem alii h) hanc aestimant materiem; seroflam solummodo colluviem, non specificam, ut dici solet, materiem alii i); alii vero lympham crudam, tenacem, lentam, acremque k); eandem denique alii l) vel suo lentori relixtam, vel ex acrimonia tenuem factam. Singulatim in primis celeberrimus IOANNES de GORTER: Videlur, inquit m), succus ligamentorum et articulorum naturalis validiore motu acris factus, impeditus exhalare, retentus in ligamentis, et articulis, sua natura vix amplius mutabilis, præbere eius materiem. Alii denique n) pru-

C 3 den-

h) Verbi causa THOMAS SYDENHAM in *Opuscul.* Sect. V. Cap. V.

i) E. g. RUDOLPH. AVGVSTIN. VOGEL in *Praelection. de cognoscend. et curand. corpor. hum. adfect.* pag. 372.

k) V. C. GERARD. de SWIETEN in *Commentar. ad BOERHAAVE Aphorism. de cognosc. et curand. morb.* Tom. V. pag. 645 seq. et CHRIST. GOTTLIEB LUDWIG in *Institut. medic. clinic.* §. 375.

l) E. C. IO. ZACHAR. PLATNER in *Art. medend.* §. 633.

m) In *Prax. medic. System.* Tom. I. §. 138.

n) Verbi causa, iam honoris causa supra excitatus IO. FRIDERIC. CARTHEVSER in *Fundament. Patholog. et Therap.* Tom. II. pag. 325.



dentissime iudicarunt, non eandem semper solamque materiem in quibuslibet rheumatismis, tanquam caussam, accusari oportere, sed pro aegrotantium, tempestatum, ipsorumque coniunctorum symptomatum diuersitate, singulas praedictarum caussarum locum habere posse, eoque nomine rectissime distingui rheumatismum in *solidum sanguineum* sive *inflammatorium*, et *frigidum seroso-lymphaticum* sive *chronicum*. Ut ut haec sint, hoc saltem certum est et a plerisque pathologis concessum, sive sanguinis, sive seri lymphaeque lentorem atque spissitudinem accuses, semper vitiosis huiusmodi humoribus tum demum, cum rheumatici oriuntur dolores, singularem quandam acrimoniam inhaerere. Atque in hac ipsa acrimonia speciatim definienda certoque eiusdem geriere constituendo plerisque pathologis aqua haeret. *Alcalinum vrinosum* elementum hoc existimatuit **GUILIELMVS MVS GRAVE** o): quoniam partim, ex **BAYNARDI** experimento, rheumaticorum lotium vix tricesimam partem eius salis alcalini sub destillatione exhibet, quod alioquin ex sanorum hominum vrina elici solet, adeoque reliqua huius salis portio, ab humorum viscidâ pituita irretiri et in sanguine retineri videtur; partim etiam ipsum rheumaticorum serum, sanguini emissâ supernans, syrupo violarum admixtum viridescit, et ex mercurii sublimati solutione aquosa albissimum puluerem deponit. Sed longe probabiliori conjectura illustris **CARTHEVSEBVS** p), mox ex acribus *vrinosis* quisquiliis, mucidae colluviae immersis, mox vero et subinde ex *acidis* tartareis-que particulis, rheumaticam hanc acrimoniam componi,

ex-

o) Apud IO. ALLEN in *Synopsi uniuersae medicinae practicae*; Cap. IX.
Artic. 6. et in *Dissert. de arthritide symptomatica*; Cap. II. Artic. 4.

p) In libr. et loc. cit.

existimauit. Cui sententiae porro confirmandae haud inopportuna nobis sequentia videntur argumenta. Primo, ex communi fere pathologorum consensu, rheumatici mali sedes ad cellulosa non solum totius cuiusdam musculi, sed etiam singulorum lacertorum fibrarumque muscularium, inuolucra deferuntur. In huius ergo telae cellulosa cauerulis, ex luculentissima physiologorum demonstratione, tenuissimus colligitur humor oleosus, ex ultimis arteriolis, aliarum, quae sanguinem serumque vixerunt, propaginibus, hic perspirando depositus, in prima sua origine magna aquae copia refertus, mucique potius aut gelatinæ simillimus, sensim dein, dissipatis aquosis et tenuioribus particulis, magis inflammabilis et oleosus. Fac ergo *porro*, hominem quendam sibi non satis cauere ab omnibus singulisue oriundae materiae rheumaticae caussis procatacticis, quas alibi q) facile exquisueris, tunc saepius identidemque intercepto humoris transpirantis per cutaneacola itinere, aut crassamento chyli, sanguinis, sepi, lymphaeque diuersissime austro, immo forte variis particulis acribus extrinsecus cum materia alimentaria illatis inquinato, fieri non potest, quin serum hoc exhalabile, nunc variis alienis acrimonii austum, copiosius ad cryptas cellulosas, musculis interpositas circumiectasque, aut circa maiorum articulorum capsulas atque ligamenta contextas, regurgitet, ibique ob maximam, qua abundat, copiam aquae, quorumuis salium amicissimae et siticulissimae, varii generis salinas acrimonias aduehat allicitaque. Tum vero, iisdem caussis procatacticis persistentibus, pro diuerso in diuersis hominibus naturalis solidorum ro-

bo-

q) In omnibus Pathologiae institutionibus: v. c. illustris CARTHEV-SERI libr. cit. pag. 528. de GORTER libr. cit. §. 138. Artic. VI. aliisque.



boris gradu, mox tempestive satis, solutas adhuc ab
 aquae portione salinas moleculas, siue *acidae* fuerint, ex
 crudo chylo, rancida pinguedine, phosphorea seri vrinarii
 parte, aut aliunde forte resorptae, siue *alcalinae vrinosae*,
 ex huiusmodi chylo, per alimenta animalia subputrida,
 aut diuturnam fecum retentionem alcalescente, aut ex i-
 psis reliquis corporis humani humoribus, destructo nimirum
 per saponaceorum aut alcalinorum fixorum medicamen-
 torum abusum sale nativo ammoniacali, extortae, siue
 forte *muriatice*, ex largissima salis cibarii adsumptione
 chylo illatae et per humorum massam distributae, siue
 denique forsan, licet rarissime ^{r)}, *ammoniacales*, ex ipso
 nimia natui salis copia oriundae: has, inquam, quales-
 cunque salinas moleculas adhuc solutas, excitata tantum
 leni fibrillarum adiacentium muscularium irritatione, cry-
 ptæ denuo propellent cellulose atque in circulum agent;
 vnde forte denuo ad cutem delata haec salina recrementa
 in ultimis sub epidermide osculis haerere, hanc in exiguae
 pustulas, suo hiatu molestam colluviem emitentes, ele-
 uare videntur. Haud temere forsan hanc *pūrpurae rheu-
 maticae*, quam scorbuticam vulgo vocant, originem di-
 xeris. Mox vero in aliis hominibus, quibus simul multus,
 spissus, lentesque sanguis inest, adeoque crux fibro-
 sus aut iusto maiori cohaesione risu, aut consueta pro-
 portione serosa parti praeaulet, depositæ in contextum
 muscularum cellulose ante dictæ impuritates salinae non
 adeo expedite extricari possunt, sed grauiori suo irri-
 mento non solum fibrillas musculosas, sed totum saepe nu-
 me

^{r)} Haec autem acrimonia ideo rarissima rheumaticorum morborum
 causâ videtur; quoniam solemnia eiusdem cola, renes, plerumque
 expeditissime suo officio perfunguntur.

mero systema vasculosum nerueumque adficiunt, atque
hac ratione non solum diathesis inflammatioriam inducunt
sanguini, orgasmosque febries, immo ipsas *febres rheu-*
maticas generant, verum etiam interdum subtiliorem sui
partem, in tenuem, et velut erysipelaceam acrimoniam,
vi morae resolutam, ad singularia loca musculosa reiicit,
ibidemque *tumores* rubicundos dolentesque *rheumaticos*
producit. *Tum* autem haud infrequens quoque est, mu-
cum, in principio secretionis admodum aquosum, non so-
lum dictis salinis acrimonis, verum etiam terreis particu-
lis onerari: vnde, si simul cum pinguis in cellulose telae
cavernis restagnat, et ex mora, amissa magna aquei ele-
menti parte, lentorem concipit, tum profecto forte in-
haerentia salia tam tenax mucus, quam lentum illud oleum
inuiscabit, et menstruorum naturalium viribus subducet.
Augeri adeo videntur eo loco, quo stagnatio sit, et mu-
cus ¹⁾, et pinguis massa, et immersa his atque inuoluta sa-
lia. Fortassisne hanc *rheumatismi fixi chronicique* origi-
nem existimaueris? Quodsi denique haec circa articulos
contingunt, in quibus vnguen Haversianum, sua iam na-
tura, spissiori oleo, ex ossium medulla collecto, et ter-
reis particulis, forte ex ossea compage, circulationis at-
tritu elisis, onustius deprehenditur, eadem ratione ac in
rheumatismo, promtissime in dolores *arthriticos*, ipsosque
tumores, tandemque *tophos* huius generis abire videtur
haec collectio colluviei salino - mucosae. Quam prope
autem hae coniecturae nostrae a vero absint, aestimatio sic
penes lectores.

D

§. X.

1) Hinc etiam forte factum est, vt CAROLVS DRELINCVRTIVS
musculos hominis, graui rheumatismo extincti, densa quadam
gelatina velut obductos deprehenderet. Conf. CLOPTON
HAVERS *Osteolog.* Discurs. IV.



§. X.

Hoc igitur modo enatam multiplicis, ut videtur, elementi materiam rheumaticam (§. IX.) quomodo idem solusque spiritus Mindererianus adgredi poterit? Si eundem, tanquam sal medium, in venas susceptum, spectaueris, hac ipsa sua natura, antequam in dissimilaria abiit elementa, humorum quidem densitatem minuet, viscidumque mobile magis attenuabit, et ad euacuationem disponent (§. V.): mucosum tamen illud tenacius non soluet, vi experimentorum, a celeberrimo quondam viro, ANDREA RVEDIGERO, aut, si mauis, CHRISTIANO ADAMO GORNIO^t), institutorum. Contra ea quodvis coactum tenaxque oleosum sub lenissimo calore et mediocri tritura expeditissime aggreditur, ob subtilissimas forte, quibus ipse scatet, oleosas particulas; sicuti nosmet ipsi, tentamine facto, animaduertimus. Proinde etiam liquidum hoc sal oleosae huiusmodi massae cum aqua coniunctionem, eiusque in lacteum aut potius saponaceum coagulum mutationem eximie adiuuit. Atque haec intuitus saepius a nobis honorifice nominatus CAROLVS GVLIELMVS POERNER reftissime disputasse videtur: *Hicce liquor Mindererianus, scribens u), viscidum tenax oleosum in quounque fere morbo, qui talem causam agnoscit, destruit, fluida naturalia quidem attenuat, attenuatorum vero connubium non disiungit; quare perspirationi vel etiam diuresi fauet, vixque adeo exfiscat. Motum fluidorum paulum intendendo et disiunctas partes oleosas aquosis reliquisque rursus uniendo intestinum motum arcet; paucis, admodum*

^t) In *Dissert. de pituita*, Lipsiae, 1510CCXVIII. edita: in cuius Cap. I. num. 18. mucosum a salibus quibuslibet mediis generatum folui negatur.

u) In *Delineatione Pharmaciae*, §. 108.

dum subtilis est et reliquis profundius penetrat. Ex quo planissime colligi potest, ipsam quoque rheumaticam materiam salinam, qualiscunque demum sit, in telae cellulosa caueris ab oleoso quodam vilcido velut inusitatam (§.IX.) ab interno liquoris huius ammoniacalis vsu denuo mobilem, circulationique et per congrua cola euacuationi aptam esse euasuram. Verum enim vero, quam primum etiam ammoniacale hoc sal in ipso corpore humano per eas caustas, quas supra (§.VI.) exposuimus, in elementa sua dissimilaria dehiscit, antirheumatica eiusdem virtus hac intestina disunctione non omnino imminui infringique videtur. Siue enim haec materies ad acidum salium genus inclinet, coniunctumque terreum elementum, ut solet, magis velut gypsum, stypticum, tophaceum que reddat, tum profecto evoluta vrinosa spiritus Mindereriani portio acidum hoc morbosum aggredietur, nouaque vniione mobilius, minus noxium, excretionique idoneum reddet: relictis tum particulis terreis, acidi vegetabilis, ex Mindereriani spiritus destructione digressi, congressum forte non respuentibus, atque hinc quoque ad circuitum et faciliorem per cola transitum paratoribus factis. Frequentissime rheumaticam materiem ex acido hoc morbo laborare, vel exinde haud temere conieceris, quoniam plerique morborum rheumaticorum commentatores, observationum suarum fidem interponentes, simplicium vrinosorum salium usum his in morbis maximopere commendarunt. Siue vero alkalimum potius sal volatile materiae rheumaticae primarium efficaxque sit elementum, tunc eadem ratione, inuerso tantum ordine, destructus et in elementa sua resolutus agere videtur spiritus Mindererianus. Siue denique muriatica adsit impuritas, rheumaticam materiem componens, veri quidem non videtur simillimum,



se iuncta sibique relicta salis nostri ammoniacalis elementa dissimilaria aliquid efficacitatis in muriaticum sal esse habitura: quoniam vero spiritus Mindererianus, ut ante demonstrauimus, inuolucra muriatice huius acrimoniae tenacia oleosa in ipsis cauernis cellulosis destruit, fieri dehinc non potest, quin vitiosae hae particulae muriatice a circumventibus humoribus animalibus denuo arripiantur, soluantur, et, qua datur porta, ex humani corporis finibus eiiciantur. Sed hic disputandorum sit finis. In tanta enim huius rei obscuritate, quam actuosa corporis nostri natura plenisque suis operationibus clandestinis circumfundit, multa omnino atque varia superessent, quae quaeri, quae coniecturis attentari possunt. Medico interea clinico satis est, quaeunque ratiocinio adsequi non potest, frequentissimis experimentis habere confirmata: ex quo etiam arguento potissimum *spiritus Mindererianus virtutem antirheumaticam* voluntus definiri. *Morbos enim non eloquentia, sed remediis curari*, admodum scite atque verissime dixit


C E L S V S.

Pag. 16. lin. 19. pro conuenisse lege euenisse



UD 18

PICA



EFFICACEM
SPIRITVS MINDERERIANI
VIRTUTEM ANTIRHEV-
MATICAM

PRAESIDE

PETRO IMMANVLE HARTMANNO.

PHIL. ET MED. DOCT. MED. T.

PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR.

FVRT. SCIENT. VTL. ITEM

SCRVTATOR. ET DVCAI. TE

MEDICI HO

DOCTORIS ME

LEGITIM

DIE OCTO

PUBLIC

CHRISTIANVS F

RIESEN



TRAJECT
E TYPOGRAPHI

